domini sui fructu, nec intellexerunt infelices mysterium · nec uenerati sunt
tam clementem pietatis affectum, quod contra hostes suos non passus est uulnera
inferri. Illi iusto mortem inferebant, persecutorum uulnera iste sanabat.
Petrus uero sequebatur. **Ubi petrus negat tertio · LXXXXVI ·**
a longe. Et bene a longe sequebatur, iam proximus negaturo. Neque enim potuisset negare, si Christo proximus adhesisset.
Sed fortasse et in hoc nobis maxima sit admiratione reuerendus, quod dominum non reliquit cum timeret. Metus naturae est, cura pietatis.
Alienum quod timet, suum quod non fugit. Quod sequitur, deuotionis; quod negat,
obreptionis. Commune quod labitur, fidei quod penitet. Iam in domo principis
sacerdotum ignis ardebat. Accessit petrus ut calefaceret
se, quia clauso domino calor mentis contra in ipso refrixerat. Quid sibi uult quod prima
eum prodit ancilla, cum uiri utique magis eum potuerint recogno
scere, nisi ut et iste sexus peccasse in necem domini uideretur, ut et iste sexus
redimeretur per domini passionem. Et ideo mulier resurrectionis accepit
prima mysterium, et mandata custodit, ut et ueterem praeuaricationis
aboleret errorem. Petrus igitur proditus negat. Ponamus enim negasse petrum,
quia dixit dominus: ter me negabis. Et malo negasse petrum quam dominum fefel
lisse. Quid negauit? Quod promisit incaute. Deuotionem considerauit, non respexit
conditionem. Multatur, quia dixit se animam ponere, quod non humanae infirmi
tatis sed diuinae est potestatis. Cum tam graue imprudentis sermonis mul
ta sit, quanta est poena perfidiae. Ubi tamen negat petrus? Non in mon
te, non in templo, non in sua domo, sed in praetorio iudaeorum, in domo principis
sacerdotum. Ibi negat ubi ueritas non est. Ibi negat ubi Christus captus,
ubi uinculis ligatus est. Quomodo enim non erraret, quem intromisit hostiaria, et
interrogauit hostiaria, et hostiaria iudaeorum. Male Eua induxit Adam,
male petrum intro duxit femina. Sed ille in paradyso labitur ubi non ueni
abilis culpa, hic in praetorio iudaeorum ubi difficilis innocentia. Illi in
terdictus lapsus, huic praedictus error. Ille commissus huic praeiudicauit,
hic illum resoluit. Consideremus contra quem in statu neget. Frigus inquit e